

www.e-rara.ch

**Episcopatus Wirceburgensis Sub Metropoli Moguntina Chronologica et
diplomatice illustratus**

Ussermann, Aemilian

Sankt Blasien, 1794

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Re 225

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-53867>

Sectio II. Ecclesiae collegiatae extinctae.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

reperi, nempe *Ulricum* a. 1278. Alius commendator in *Hallis* a. 1291. conventionem iniit cum abbatissa in *Gnadenthal* a). Anno 1390. notatur *frater Arnoldus de Bërlichingen commendator in Hallis* b). In charta a. 1287. legitur *Conradus commendator domus S. Ioannis hospitalis in Hallis*, et a. 1366. *frater Conradus de Newenstein* c). Meminimus iam supra de *Comburgensi* monasterio agentes p. 205. hospitale olim extra muros *Hallenses* sub dominio et procuratione commendatoris et fratrum hospitalis *S. Ioannis* ibidem constitutum ac penitus collapsum illis fuisse ademptum, et intra muros a civibus restitutum, probante id a. 1323. *Wolframo Herbipolensi* episcopo d). Anno demum 1539. novam reformationem recusantibus *Ioannitis*, ut porro addit *Crusius*, *Missæ* celebratio ab *Halensi* magistratu abrogata est, et *Ioanniticum* templum clausum. Quæ autem moderna sit commendarum istarum facies, quis status, nec scriptis nec editis testimoniis fumus edocti, pauca hæc de antiquo earum statu reperisse contenti.

S E C T I O I I .
ECCLESIAE COLLEGIATÆ EXTINCTÆ.

C A P U T V I I I .
S. GUMBERTI PRIMO MONASTERIUM,
D E I N
ECCLESIA COLLEGIATA IN ONOLZBACH.

Onoldia, a præterfluente fluvio *Onoldisbach*, dein contracte *Anspach*, principale oppidum est in cognomine marchionatu *Brandenburgico* in *Franconia*, ubi celebre olim existit *Ordinis Benedictini* cœnobium, a fundatore suo *S. Gumberti* appellatum; de cuius *Sancti* nomine et vita multa disquirunt *Bollandiani* T. IV. Iul. ad diem 15. quæ ex interpolata ab *Egilwardo* vita *S. Burchardi* e) paucis hic examinamus.

Ibi inter primarios *S. Burchardi* primi *Wirceburgensis* episcopi discipulos numeratur *vir nobilissimus nomine Gumbertus* universa morum ac generis nobilitate præclarus.

a) *Wibel* P. II. p. 89. et 115. b) *Ib.* p. 333. c) *Ib.* p. 103. et 205. d) *Mencken* Script. T. I. p. 419. e) *Mabill.* Sec. III. Bened. P. I. p. 710.

Nobilem hanc prosapiam plerique ab antiquis Franconiae ducibus repetunt, eundemque cum Gumberto seu Cuniberto Gotzberti ducis filio statuunt a). Verum utut facile largiamur, *Gumberti* natales ex nobili Francorum genere esse deducendos, utpote qui amplissima ibidem tenuerit prædia, *Gozbertum* tamen ducem a S. Kiliano a. 687. conversum patrem illi dare haud permittit temporis ratio, quum alias filius eius Gumbertus aut Cunibertus integro fere seculo patri superstes fuisset. Adde, quod hoc modo non omnis *Gozberti* ducis, mascula saltem, posteritas fuisset extincta, quod volunt acta S. Kiliani, de quo supra in prolegomenis egimus, quum remansisset saltem *Cunibertus* filius comitum *Rotenburgensium* per secula fator.

Exinde vero minime inficiamur, extitisse nobilem quemdam Franconiae dynastiam, *Cunibertum* cuiuscumque demum prosapiæ; unde ortum habuerint isti comites, patrem fortassis *Rudolphi*, cuius filii erant *Manto senior*, et *Megingaudus* secundus Herbipolensis episcopus, ut supra in annalibus episcoporum b) probavimus. Suspicio inde valida nobis oritur, an non hic ipse S. *Gumbertus* filius fuerit eiusdem *Rudolphi*, ac frater *Megingaudi* episcopi, qui a. 752. a S. Burchardo successor fuit postulatus. Quæ ipsa etiam est ratio, cur magis in hanc sententiam propendeamus, ut S. Burchardus ambos hos fratres suos in vita spiritali alumnos habuerit, quippe eiusdem ætatis, *Megingaudus* episcopo ad ann. 788. decedente, *Gumberto* autem anno 787. adhuc superstite: quamvis Egilwardus ex perverso suo computo Burchardi obitum quadraginta fere annos postponat, ab anno nempe 753. usque ad annum 791. Hoc tamen non obstante, perinde ac *Megingaudus* episcopus, in disciplina S. Burchardi educatus esse potuit *Gumbertus* noster, qui, ut idem post addit, *depositis armis seculo renuntiavit*, . . . et ut olim in secularium dignitatum fascibus se probaverat frenuum, ita post conversionem in spiritali conversatione nulli se passus est inter B. Burchardi sectatores haberi secundus, monachus scilicet factus in S. Andreae monasterio Wirceburgi circa ann. 748. per S. Burchardum exstructo, ut ex eius Legenda perhibet Frisius c). Cuncta hæc *Gumbertum* potentem antea seculi hominem arguunt, uti et ea, quæ præcedunt: Non multo post, quam Burchardo adhæserat, prædia sua, quibus præ cunctis hac in regione degentibus abundabat, in S. Kiliani proprietatem delegavit, inter quæ etiam numerat *Onolspach olim abbatiam non ignobilem*. Ast hic oppido fallitur, nec enim fundatum istud a se monasterium Wirceburgensi ecclesie donavit *Gumbertus*, sed Carolo M. qui id postea Bernwelfo episcopo concessit, ut paullo post dicemus.

a) Vid. Falckenstein cod. antiq. Nordgav. et fusius T. IV. p. 4. Wirceb. p. 394.

b) Pag. 10.

c) Ludewig script.

Atque hæc potissima eius vitæ summa est, cui subsequi scriptores varia addiderunt aut non probata fati, aut omnino conficta. Ad quæ posteriora pertinet, quod in nonnullis martyrologiis dicatur electus episcopus Herbipolensis, qui, ut legitur in Viola Sanctorum, *primum miles fuit christianissimus et fidelis, cui administratio et gubernatio totius episcopatus Herbipolensis tamquam provido syndico est commissa, quam curam valde humiliter gessit et utiliter: quæ quidem de advocato seu defensore prædictæ ecclesiæ sub S. Burchardo intelligi possent. Quo sequentia quoque spectare videntur: Factum est autem, ut mortuo episcopo Herbipolensi omnium voces in eum unanimiter concordarent, missa legatione ad Papam pro eo postulando ad præsulatum. Ipse autem indignum se reputans tanto honore, contrarium a Domino postulavit et obtinuit; pendente enim relatione tempore intermedio defunctus est. Sepulto autem eo litteræ exauditionis (seu confirmationis Roma) sunt allatæ: quem cum clerus tamquam episcopum suum confirmatum vellet honorare ossa eius in honorabili loco collocando, inventus est omnibus pontificalibus adornatus, qui tamen miles vel laicus fuit sepultus. Verum fabulosam hanc narrationem nostro Gumberto convenire haud posse multa persuadent. Ut enim de cæteris taceam, cuiusmodi tempori hæc illiganda forent, haud reperio. Burchardus certe et Megingaudus, ut suo loco diximus, suos successores ipsi sibi delegerunt. Demus etiam, mortuo circa a. 753. Burchardo Gumbertum eius discipulum fuisse electum, quomodo ante confirmationem obiisse potuit, qui adhuc a. 786. in vivis agebat? Burchardi successor Megingaudus, et forte Gumberti frater, anno demum 795. obiit, quo ne vero quidem simile est, Gumbertum aut amplius vixisse, aut in decrepita iam ætate episcopum fuisse expetitum. Quid? quod Gumbertus miles vel laicus fuisse sepultus referatur, quum tamen noster iam sub Burchardo monachus, et sub Megingaudo abbas extiterit.*

Desumpta videtur ista de Gumberti qualiscumque episcopi opinio ex Caroli M. diplomate a. 786, in quo repetita vice appellatur *episcopus*, et quidem *de monasterio, Onolsbacensi scilicet*. Quibus vero compertus est diplomatum istius ævi filius, norunt, in illis *episcopi* titulum subinde abbatibus quoque, monasteriorum præcipue fundatoribus, fuisse tributum. Insigne huius rei argumentum suppeditant monumenta Scheflariensis in Bavaria monasterii, cuius abbas et fundator Balthericus in charta a. 776. simpliciter vocatur *episcopus*, uti et Petto eius successor in alia a. 806. *episcopus seu abba a*). Vid. Mabillonius præfat. ad P. I. Sec. III. Bened. n. 32. et Du Cange in glossario T. III. v. *episcopus abbas*.

*) Monum. Boic. T. VIII. p. 365. et 369.

Quamdiu post hunc annum superstes fuerit *Gumbertus*, ignoratur: dies vero eius emortalis in fastis Benedictinis et nonnullis martyrologiis statuitur XI. seu XV. Martii, quo etiam die insignem olim processionem ad parochialem S. Ioannis ecclesiam cum capite *S. Gumberti* fuisse institutam scribit *Stieber a)*. Illius autem festum in ecclesia Herbipolensi die XV. Iul. peragitur ob factam forte translationem. Concludit tandem *Egilwardus*: *Post presentis vitæ cursum bene in Christi famulatu consummatum iuxta B. Burchardi promissionem in eodem monasterio Onoldino possidet sepulcrum.* Locus sepulturæ ante altare adhuc ostenditur: Reliquiæ tamen a. 1165. d. 3. Nov. in dedicatione novæ ecclesiæ collegiatæ ab *Heroldo* episcopo e tumulo extractæ, in cistella affabre facta retro altare repositæ sunt. Testatur de hoc antiqua inscriptio, sec. XVI. in renovatione ecclesiæ cum sarcophago reperta: *Anno Dominica incarnationis c10CLXV. indictione tertia, 3. Non. Nov. die dedicationis altaris huius templi a venerabili Heroldo Würzburgensi episcopo, primo ordinationis anno reconditum est hoc corpus sanctissimi antistitis et confessoris Gumberti in hoc sarcophago, regnante Friderico Rom. imperatore anno XIV. regni et imperii eius.* Sed epochæ haud conveniunt, erat enim indictio XIII, et annus imperii *Friderici I.* undecimus. In alia adiecta scriptura anni 1524. continebatur, quod a. 1522. d. 8. Iul. tempore persecutionis Lutheranæ sarcophagus fuerit contractus, Reliquiæ autem a canonicis aliorum translatae *b)*. Ex his pars cranii a *Margaretha* comitissa de *Marca*, nata *Arembergensi* principe, a. 1575. *Onoldi* impetrata in *Iesuitarum* templo *Bruxellis* collocata est, ut authenticis testimoniis probat *Sollerius c)*. Refert quoque *Strebel d)*, a. 1612. potissimam Reliquiarum partem præsentem tunc electoris *Coloniensis* legato a marchione *Ioachimo Ernesto* fuisse concessam, reservatis tamen adhuc *Onoldi* aliis nonnullis in memoriam. Aliud *S. Gumberti* seu *Cuniberti* granium servabatur in diruto nunc *S. Ioannis* monasterio *Unterwildberg*, ubi etiam eius sepulcrum extitisse dicitur. Verum hoc de *S. Cuniberto* cœnobii illius anno 1209. demum fundati monacho intelligendum esse idem *Sollerius e)* affirmat.

Foundationem porro monasterii in *Onoldsbach* enarrat ipse *Carolus M.* in suo diplomate, quo illud a fundatore sibi traditum in tutelam suam recipit, variisque privilegiis exornat a. 786. Edidit illud a. 1730. *Onoldi* *Iac. Frid. Georgii* adnotationibus illustratum, eiusque authenticam vindicavit. Exhibent id quoque *Strebel f)*, *Schützius g)*, *Falckenstein h)* et nos *Cod. prob. N. III.* Constructum ita-

a) Pag. 203. seq. b) Cod. præb. N. CXI. c) Iul. T. IV. p. 66. seqq. d) Francon. illustr. P. I. p. 117. e) L. c. p. 62. f) L. c. p. 13. g) Corp. hist. Brandenb. dipl. P. IV. p. 1. h) Antiq. Nordgav. T. IV. p. 1.

que est a *S. Gumberto* in pago *Rangowe* inter duo flumina *Retratenza*, nunc *Rezat*, et *Onoldisbach*, ubi non parvam congregationem monachorum sub regula *S. Benedicti* congregavit, quorum ipse primus abbas extitit, illudque cum omnibus illuc pertinentibus *Carolo M.* testamento donavit. Frustra adeo dubitat *Eccardus a)*, an *Gumbertus* ibi monasterium fundaverit, quod hic aperte ipsi tribuitur, non *episcopis Wirceburgensibus*, quibus iam antea extractum hoc cœnobium *Carolus* postea primum concessit, uti postea dicemus. Porro *Benedictini* huius instituti absque isto diplomate nullum fere esset monumentum; neque enim *Mabillonius* in suis *Ordinis* annalibus illius meminit. *Bucelinus* quidem illud *Benedictini Ordinis cultissimum asceterium* appellat *b)*, eius tamen foundationem perperam *Heinrico* episcopo *Herbipolensi* sub a. 1008. tribuit, ut infra memorabimus. *Clar. Reinhardus* in suo programmate *de litterarum in Franconia initiis* illustre huic monasterio et *Ordini* testimonium perhibens, cum *Divi Benedicti*, scribit, *sodalibus litteræ Onoldum migrarunt, et proci dubio more Francorum ad eorum quoque collegium iuvenes discendi cupidi undique confluxere.* Factum id nempe pro veteri *Ordinis* more, ut præter foli culturam, religionem quoque ac scientias in novis suis coloniis implantarent primi illius alumni.

Propositum id fuisse regi *Carolo*, ut quieti incolarum huius monasterii prospiceret, quæ dein sequuntur, ostendunt, ubi compendio recenset, quæ deinceps pro externa cœnobiorum tranquillitate a regibus et imperatoribus passim fuere fancita, ab eorum tamen ministerialibus vel iudicibus parum observata, immo a subsequis advocatis posteriore tempore penitus violata: unde plurium locorum sacrorum perniciës et ruina processit.

Quo vero internæ etiam tranquillitati, unde externa plerumque dependet, consuleret rex sapientissimus, liberam insuper monachis licentiam concedit, ut defuncto *Gumberto* ipsi sibi abbatem iuxta regulam *S. Benedicti* eligant, sibi regnoque fidelem. Singulare fuit hoc privilegium *Gumbertinis* monachis indultum, quum alias, etsi contra *S. Benedicti* regulam, cœnobiis a *Francorum* regibus abbates fuerint constituti, sæpius tamen cum utriusque partis spirituali æque ac temporali detrimento. Ex hoc ipso tamen loco *S. Gumbertus* monasterii sui abbas extitisse demonstratur contra *Eccardum* et *Sollerium*, qui eidem *laici* dumtaxat nomen tribuunt, cuius tamen conditionis hominibus *venerabilis viri* aut *episcopi* nomen in regiis diplomatibus fuisse attributum necdum reperi.

Negat quidem *Cl. Oetter* in *Erklärung des namens Onoldsbach* existentiam non monasterii solum *Onoldini*, sed et huius *Carolini* diplomatis, cuius tamen autogra-

a) *Franc. Or. T. I. p. 490.*

b) *Germ. Sac. T. I. P. II.*

phum adhuc a. 1590. superfuisse inventaria huius ecclesie produnt; quodve a. 1282. Wernherus AEp. Mog. genuinum agnovit, ut scribit Ioann. Bern. Fischer in vernacula historia urbis Anspach, Oetterum pro merito castigans, qui etiam ex sequentibus magis revincitur.

Carolus rex traditas sibi a *Gumberto* possessiones in *Onoldsbach*, incertum quo anno per concambium concessit *Bernwelfo* Wirceburgensi ab a. 795. usque 800. episcopo: quod vero concambium litteris firmatum haud est, quia tunc interveniente incuria auctoritas imperialis super easdem commutationes nullatenus accepta fuerat, ut legitur in Ludovici Pii diplomate, quo commutationes bonorum a Carolo patre suo cum *Bernwelfo* factas confirmat a), ubi specialiter enumerantur loca, quæ in variis pagis *Gumbertus* episcopus ex rebus iuris sui legaliter Carolo M. delegavit, interque illa etiam a Carolo dein *Bernwelfo*, et ecclesie Wirceburgensi per concambium concessa. Cæterum de pagis locisque hic memoratis legendum chronicon Gottwicense b). Atque hæc de monasterii *Onoldini* origine dicta sufficiant.

Quæ porro fata subierit ab eo tempore, quo Wirceburgensi ecclesie accessit, monumenta altum silent, ut vix non crediderim, abbatis titulum tunc penitus cessasse, aut cum illo episcopi fuisse coniunctum. Certe in nulla charta abbatis cuiusdam *Onolzbacensis* nomen reperi, etsi aliorum monasteriorum huius diocesis abbates frequenter ceu testes saltem occurrant. Coniecturam nostram firmare videtur privilegium regis *Conradi I. dat. IIII. id. Nov. anno incarn. Dom. DCCCCXI, indict. XV. regnante piissimo rege Chuonrado anno I, quo rogatu Diotonis episcopi Wirceburgensis donat S. Gundberto confessori Christi quasdam res iuris sui in pago Folchfeld, quatenus idem præsul suique successores talem inde ulterius habeant potestatem, sicut et de aliis rebus, que antiquis temporibus ad predicti S. Gundberti cænobium pertinere videbantur c); ubi nulla prorsus cuiusdam abbatis mentione facta, tota disponendi facultas episcopo asseritur. Solus quoque episcopus occurrit in charta, qua *Othbratus* quosdam proprii iuris famulos tradit ad reliquias *S. Gumberti* in *Onoldsbach* in pago *Rangove. Act. in monasterio Onoldsbach a. 993, iubente Berenwardo* episcopo XI. Kal. Sept. d).*

Notari meretur appensum sigillum, in quo repræsentatur *Gumbertus* sedens in habitu pontificali cum nimbo, et libro in manu sinistra, addita epigraphe *Sanctus Gumbertus episcopus*. Idem fere est sigillum Capituli, nisi quod in pectore expressum

a) Cod. prob. N. X. b) T. II. p. 553, 734. et 819. c) Eccard T. II. p. 499. et Falckenstein T. IV. p. 14. d) Strebel Franc. illustr. p. 232. et corrupte apud Falckenstein l. c.

fit nomen *Gumbertus*, cum epigraphe *S*(igillum) *Capituli ecclesiae Onolsbacensis*. In traditione, quam a. 1006. fecit Helenger *ad reliquias sancti Salvatoris et S. Mariae et S. Gumberti a)*, nulla fit monasterii mentio, quamvis tale adhuc eo tempore fuerit. Immo Bucelinus *b)* eius foundationem et dotationem primum circa annum 1008. factam memorat ab Henrico I. episcopo Herbipolensi comite de Rotenburg, a quo etiam Bruschius *Onoldsbachii magnificum S. Gumberti cœnobium Benedictinum* esse constructum scribit. Id vero id non de prima illius origine, sed restauratione ac nova dotatione intelligendum esse, hucusque in medium prolata abunde testantur.

Forte Henricus iste episcopus huius cœnobii a familiae suae viro *Gumberto* fundati, sub episcoporum administratione sine proprio abbate interea fatiscens, sortem misertus illud denuo restituit; cuius tamen facti litteras necdum deteximus.

Paullo post vero idem monasterium aliam mutationem expertum est, dum *Adalbero* episcopus a. 1057. canonicos ad S. Stephanum Wirceburgi ad *Novum Monasterium* primum, dein ad *Onolsbacum* transtulit, monachos vero Benedictinos illic residuos, permutatione facta, in dictum S. Stephani cœnobium immisit: quod supra in *Adalberone* episcopo notavimus, et infra in monasterii S. Stephani historia ulterius dilucidabimus. Atque exhinc *Onoldinum* cœnobium in Collegiatam canonicorum ecclesiam conversum est, retento priore *S. Gumberti* nomine. De illa hæc habet superius a nobis relatus *Egilwardus* Lib. II. c. 9. de sui temporis statu scribens: *Quæ nunc præpositura canonicorum est, olim abbatiam non ignobilem fuisse, hucusque a maioribus per multas iam generationes hereditatum testimonium illius provinciae non celat.*

ECCLESIAE COLLEGIATAE IN ONOLSBACH

ALIQUOT

PRÆPOSITI, DECANI ET FATA.

Nullus hucusque sive præpositus sive decanus huius ecclesiae ante ann. 1057. notatus reperitur, manifesto indicio, eius mutationem circa illa tempora contigisse. Nos eorum elenchum dabimus, prout ex monumentis archivi Anspacensis aliisque chartis eos colligere potuimus.

Primus mox altero post canonicorum institutionem anno 1058. occurrit *MEZELIN præpositus* in charta traditionis ad altare S. Gumberti *c)*.

a) Falckenstein I. c. p. 16. et Strebel p. 235. b) Germ. Sac. P. II. p. 67. c) Iungii Miscell. T. II. p. 4.

ENHARDUS *prælatus* seu *præpositus*, et WURCHARDUS *decanus* in alia 1064 a).

MEGENHARDUS *præpositus*, et ERNESTUS *decanus* a. 1094 b).

LUITOLF *decanus* a. 1112 c).

Anno 1139. Embrico episcopus parochiam S. Ioannis in *Onoldesbach* ad altare S.

Gumberti in usum fratrum Deo ibidem fervientium donavit. Inter cœnobitas eiusdem ecclesiæ notatur in litteris UDELHALM *decanus*, uti et in charta 1141 d).

Ann. 1157. Berngerus canonicus Herbipolensis varia bona collegiatæ tradidit pro anniversario, probante id Gebehardo Ep. e).

Ann. 1164. Henricus Ep. confirmavit HEROLDO Wirceburgensi et *Onoldesbacensi præposito* eius institutum, ut parochialis ecclesia cum decanatu unita permaneat, ubi notatur GODEBALDUS *decanus* in *Onoldesbach* f). Hunc GOTTIBOLDUM nominat Hofmann, et perperam primum *decanum* statuit ab a. 1147. usque 1195, quo die 22. Mart. obierit. GOTEALDUS *decanus* saltem comparet in litteris a. 1166, 1168, 1171, 1183. et 1193.

Ann. 1165. d. 3. Nov. nova S. Gumberti ecclesia ab eodem HEROLDO interim episcopo facta consecrata, et sancti Reliquiæ translatae sunt.

Ann. 1166. Heroldus Ep. canonicos ecclesiæ a frequentandis Capitulis ruralibus absolvit g), et a. 1168. archidiaconatum præposituræ annexum confirmavit h).

HENRICUS tunc erat *præpositus*, qui iam a. 1167. occurrit, et iterum a 1171, quo ecclesiæ suæ donationem fecit, quam Reinhardus Ep. ratam habuit. Idem episcopus a. 1179. aream cum prato ecclesiæ S. Gumberti tradidit, ac a. 1183. controversiam inter canonicos de quibusdam bonis ortam composuit, datis litteris, quibus ex antiquitatis testimonio testatur, quod *beatissimus confessor Domini Gumbertus villam, cui Ottenhouen vocabulum est, ecclesiæ, quam ipse in Onoldesbach construxerat, cum omni donavit integritate. . . Cæterum ingruente postea tumultu bellico prædicta iam ecclesiæ prædia sacrilega invasione permutaverunt dominium, deinde post longa temporum curricula felicitis memoriæ noster decessor venerabilis Albero episcopus alienationem iniustissimam iuste irritavit, sublata restituit, restituta in augmentum stipendiorum prebendalium sub nomine oblationum fratribus rationabili provisione ordinavit: quæ antiqua foundationis et mutationis monasterii tempora respiciunt.*

TITERICUS, DIETERICUS seu THEODERICUS *præpositus* in variis chartis memoratur ab anno 1189. usque 1194. sub quo Henricus Ep. aream quandam in Ochsenfurt a GOTEALDO *decano* ecclesiæ Onoldinæ comparatam in suam protectionem recepit a. 1193.

a) Falckenstein Cod. Nordg. T. IV. p. 18. b) L. c. p. 19. c) Ib. p. 20. d) Ib. p. 28. et 30.
e) N. XLII. f) Ib. p. 40. g) N. XLIX. h) N. LI.

Anno 1197. Cælestinus P. ecclesiæ Onolsbacensi archidiaconatum *Rangowe* confirmat a), quod alii perperam ad ann. 1194. referunt; Bulla enim data est anno *sexto* pontificatus, qui ab anno 1191. incepit.

ARNOLDUS *præpositus* in Onoldesbach notatur ab a. 1208. usque 1230. capitulo suo quædam bona sua vendidit, consentiente Ottone episcopo a. 1221. In datis desuper litteris legitur OTTO *decanus*, uti et a. 1223. ELGERUS seu ALGERUS *decanus* notatur a. 1238. et seq.

MARQUARDUS *de Kastele præpositus* a. 1245. ab Hermanno Ep. obtinuit, ut parochia Ingesinden ecclesiæ suæ uniretur b). Legitur etiam a. 1249. quo Innocentius IV. P. ecclesiam Onolsbacensem liberam declarat ab omni provisione in pensionibus seu beneficiis ecclesiasticis c).

Ann. 1254. Alexander IV. P. permittit Capitulo Onoldino, ut vacante præpositura de alia persona idonea per electionem provideat d).

Ann. 1280. ecclesia incendio periit, quam aliquo modo restauratam a. 1282. Wernherus AEp. Moguntinus dedicavit, et pro qua BURCHARDUS *decanus* a. 1290. eleemosynas expetiit.

ANDREAS *de Gundelfingen præpositus* a. 1297 e), factus a. 1303. episcopus; et HEINRICUS *decanus* a. 1299. usque 1328. Sub his a. 1198. Manegoldus Ep. abusum quemdam in receptione canonicorum abrogat f).

CONRADUS *præpositus*, Oettingensis comes, Capitulo Herbipolensi cedit parochiam Sachsen a. 1312 g).

Ann. 1326. Ludovicus IV. imp. ecclesiam occupavit, quod eius canonici papæ adhæserint.

EBERHARDUS *præpositus* comes de Oettingen a. 1332.

THOMAS *decanus* occurrit a. 1339, 1340, 1343. et 1345.

Anno 1348. Otto Ep. varia bona feudalia sibi resignata ecclesiæ Onolsbacensi appropriat.

HENRICUS *a Seckendorf decanus* a. 1352, obiit 7. Sept. a. 1379.

Anno 1360. Albertus Burggravius canonicis et vicariis S. Gumberti facultatem testandi concedit, quod a. 1441. Albertus marchio renovavit h).

Ann. 1363. Urbanus V. P. capitulo Onolsbacensi confirmat omnia antecessorum fuorum et imperatorum privilegia i).

EBERHARDUS *de Sawnsheim præpositus*, cui a. 1387. suffectus est ARNOLDUS *de Sparneck*, in cuius confirmationis litteris legitur HEINRICUS *decanus*.

a) N. LVIII. b) N. LXVIII. c) Falckenstein l. c. p. 55. d) L. c. p. 56. e) Gudenus Cod. dipl. T. III. p. 728. f) N. LXXIX. g) Strebel Franc. illust. p. 39. h) Falckenstein l. c. p. 163. et 282. i) L. c. p. 174.

PETRUS de *Mundriching* decanus a. 1399.

Ann. 1402. Bonifacius IX. ecclesie parochialis in Onolsbach unionem pridem factam cum collegiata renovat et confirmat.

BALTHASAR de *Mafsbach* præpositus et CONRADUS Keymel decanus a. 1406. qui ultimus a. 1415. d. 2. Iul. obiit.

GEORGIUS Färber decanus a. 1418. et LUDOVICUS Pfinziger a. 1421. inde IOANNES Medlinger usque a. 1445. Is a. 1424. cum CHRISTOPHORO de *Rotenhart* præsposito notatur in charta Heidenheimensi.

WERNHERUS præspositus comparet in litteris Ioannis Ep. a. 1426.

IOANNES ab *Eib* præspositus a. 1434, obiit a. 1468, 24. Aug. Circa hæc tempora a. 1443. Fridericus II. elector Brandenburgicus piam quandam fodalitatem in honorem B. Virginis inter nobiles instituit, quæ *Cyanea* appellabatur, postea etiam Onoldi invecata. De ea legendus Stieber in sua historia Onoldina a) et Kölerus in singulari de hac dissertatione, ad quam auctarium de eius origine, confirmatione et obligationibus dedit Iungius b), ubi exhibet quoque bullam Pii II. qua a. 1459. eius fodalibus in collegiata Onolsbacensi indulgentias elargitur.

Ann. 1446. Eugenius IV. Alberto marchioni præsposituram et duos canonicatus in Onolsbach conferendi potestatem facit, quod confirmarunt Nicolaus V. a. 1452, Pius II. a. 1459, Sixtus IV. a. 1471. et Innocentius VIII. a. 1486, qui eodem anno statuit, ut ad decanatum non nisi ecclesie canonicus a canonicis eligatur, qui ibi ob curam animarum dignitati annexam residere debeat.

Decani interim erant IODOCUS Glaser a. 1445, mortuus a. 1449. d. 29. Sept. MICHAEL Iacobi a. 1451, defunctus a. 1454. d. 19. Febr. MATTHIAS de *Gulpen* a. 1455. et 1464. STEPHANUS Scheü insignis ecclesie suæ benefactor a. 1465, 1478. et 1482.


PETRI Knorr præspositi litteræ de a. 1477. leguntur apud Mencken c), erat simul plebanus in Nurnberg ad S. Laurentium, cuius anniversarium in Necrologio Hailsbrunnensi notatur ad d. 24. Febr. d).

HENRICUS comes de Henneberg præspositus in Aschaffenburg et in Onolsbach a. 1484 e), occurrit adhuc a. 1491 f).

PETRUS Viti decanus, mortuus a. 1505, d. 3. April. cui alii substituunt GEORGIUM Ferber ab a. 1508. usque 1522. quem supra iam ad ann. 1418. habe-

a) Pag. 127. b) Miscell. T. II. p. 46. c) Script. T. I. p. 524. d) Iungii Miscell. T. II. p. 35.
e) Gudenus T. II. p. 351. f) Schultes Hist. Henneb. T. I. p. 641.

mus; ac denique LEONHARDUS Keller a. 1524. et IOANNES Feyrabent a. 1543, d. 23. Febr. defunctus. Mortuo IOANNE Ios *preposito* a. 1516. Leo X. *preposituram* contulit FRIDFRICO marchioni adhuc in minoribus constituto, qui Herbipolensis simul ac Wirzburgensis *prepositus*, in comitatu Caroli V. imp. in obsidione Massiliæ ex peste decessit a. 1536. Ac postea collegiata hæc suppressa et in alios usus fuit mutata.



CAPUT IX.

ECCLESIA COLLEGIATA IN OERINGEN.

Oeringen Franconiæ oppidum est ad *Oram* fluvium, qui tam loco quam integro pago *Orengve* nomen dedit, ubi *Gebhardus III.* Ratisbonensis episcopus ecclesiam collegiatam fundavit, de qua ita loquitur in foundationis instrumento a. 1037. a) *matris meæ Adelheidis iustis petitionibus votisque piis annuens, in ecclesia prius parochiana in villa Oringve, quam ego et ipsa iure propinquitatis a pia memoria Sigefrido et Eberhardo atque Hermanno comitibus, qui novissimam inibi præstolantur turbam, cum aliis eorum possessionibus hereditavimus, congregationem canonicorum institui, et ad subsidia eorum deputatis prædiis et facultatibus ipsius ecclesiæ, quibus vel primitus constructa fuerat, vel iam dicti comites cognati mei eam locupletaverant, hæc ex matris meæ prædiis superaddidi.* Enumerat deinceps eadem prædia et donationes, quas huic ecclesiæ contulit, quam ecclesiæ Ratisbonensi conservandam et defendendam tradidit, a qua etiam præpositus per canonicos eligendus investituram accipiat: advocatum vero eidem *Burchardum comitem de Kamburg* designavit, quibus comitibus deficientibus advocatia ad Rotenburgenses, postea ad Hohenloicos pervenit.

Porro *Adelhaidis* ista, filia *Eberhardi IV.* comitis de Egisheim in Alsatia, primo nupta fuit *Heziloni* vel *Henrico* Franconiæ duci, ex quo mater facta est *Conradi Salici*, dein imperatoris; postea *Hermanno* Franciæ Orientalis comiti et Hohenloicorum satori a. 1004. copulata b) ex quo inter reliquos filios *Gebhardum* hunc procreavit. *Hermannus* vero, *Sigefridus* et *Eberhardus* in superiore charta memorati, iuxta *Cuspinianum* in vita *Conradi Salici*, filii fuerunt *Cunonis* seu *Conradi* Franconiæ comitis, qui frater erat *Heinrici* ducis, primi mariti *Adelheidis*; unde eorum cum *Gebhardo* episcopo cognatio habetur, de quibus legendus *Hanselmann* c). Cui

a) Prob. N. XVII. b) L'art de vérifier T. III. p. 75. et Hanselmann p. 603. seqq. c) Pag. 304. seqq.

autem assentiri haud possumus, dum illos, quos *cognatos* suos vocat *Gebhardus*, cum eius fratribus et patre confundit: de quo postea. Affert *Wibelius a)* sequentem *Adelheidis* codicillum apud *Reliquias* illius ecclesiae repertum, et a. 1415. transumptum: *Ego Adilheit, quando hoc monasterium edificavi, istas Reliquias hic et quas ubique terrarum congregare potui; in secretissimis huius aedificii locis collocavi. Timui enim posterorum perfidiam, ut si ab impiis altaria et capsae frangerentur, istae saltem hic servarentur. Utinam voto suo potita fuisset pientissima femina futurorum quasi praesaga. Has quoque rex Constantinopolitanus filio meo Cunrado imperatori dono transmisit. Ex Hermanno Contr. Werinharius Argent. episcopus a Conrado a. 1027. legatus cum aliis Constantinopolim missus est; quo ibidem defuncto caeteri cum donis ad imperatorem redierunt. Veram huius legationis causam prodidit Bertholdus monachus apud Oefelium b); quam in Werinhero I. Argent. fusius examinabimus. Pergit codicillus: Sed imperator cum cognosceret sepulturam meam hic parari, et velle me expectare diem iudicii, has ipsas mihi misit Reliquias, ut Sanctorum patrocinia perpetualiter sentirem, quorum Reliquias mecum fideliter collocatas hic conservarem. Anno Dominicae incarnationis MXX. indict. III. Sed epocha fallit, quum et coronatio et legatio imperatoris primum ad ann. 1027. spectet; quod si indictio genuina sit, annus MXXXV. hic reponi debet, quo de sepultura sua sollicita esse potuit *Adelheidis*, biennio post a. 1037. defuncta, et in *Oeringensi* a se fundata ecclesia sepulta, cui alter filius *Gebhardus* canonicorum collegium adiecit, etiam ipse a. 1060. post fata ibi tumulatus.*

Servatur adhuc in dicta ecclesia eiusdem *Adelheidis* tumba lapidea, cum hac posterioris aevi inscriptione:

*Huius fundatrix templi iacet hic tumulata
Conradi regis genitrix, Adelheida vocata.*

Et ad oram tumbae: *A. MCCXXXI. III. id. Febr. recondita sunt hic ossa Dominae nostrae Adelheidis; quod de primi sepulcri instauratione intelligi debet. De illa in necrologio Oeringensi ad d. 19. Maii ista leguntur: Domina Adelheidis regina illustris (quia Conradi regis mater) et nobilis femina fundatrix huius loci obiit, et hodie peragitur eius anniversarium in crypta ubi ipsa est sepulta, cum vigiliis, Missa defunctorum et offertorio cum magna solemnitate et devotione, sicut decet. Unde erroris arguuntur, qui Adelheidem nostram ad diem 10. Febr. inter Sanctas cultam memorant, illam dubio procul confundentes cum cognomine Adelheide Ottonis I. imp. coniuge, quae tamen 16. Dec. colitur c).*

a) *Wibel* P. II. p. 7.

b) *Script. Boic.* T. I. p. 332.

c) T. II. Febr. *Boll.* p. 377.

In eodem necrologio ad d. 7. Iun. hæc notantur: *Hodie peragitur ante parochiam speciale anniversarium cum vigiliis, Missa defunctorum, offertorio et aliis solemnitatibus, illustris ac nobilis domini Hermanni comitis, primi et principalis fundatoris huius ecclesie, qui pro secundis nuptiis domine reginæ Adelheidæ fundatrici fuit desponsatus in maritum legitimum, et genuit ex ea tres filios (Sigefridum nempe, Eberhardum et Gebehardum) et sepultus in tumba ante parochiam, ubi cum filiis suis inibi consepultis expectat novissimam tumbam.* Horum trium filiorum ita meminit laudatum necrologium ad d. 10. Iul.: *Hodie peragitur in choro nostro anniversarium speciale reverendissimi in Christo patris et domini Gebhardi quondam episcopi Ratisbonensis, fundatoris principalis huius ecclesie, qui fuit filius reginæ Adelheidis fundatricis nostræ.* Et ad d. 12. Sept.: *Annivers. illustris viri domini Sigefridi comitis, fundatoris huius ecclesie, qui fuit filius D. Adelheid etc.* et ad d. 9. Oct. similiter de Eberhardo comite. Porro distinguendi hi sunt a Sigefrido, Eberhardo et Hermanno comitibus et cognatis Gebehardi in eius charta memoratis, quos ille iam a. 1037. defunctos, et in *Oeringensi* ecclesia sepultos dicit, dum contra fratres Gebehardi illum supervixerint, Sigefridus enim usque ad ann. 1069, et Eberhardus usque ad a. 1076. in monumentis occurrunt. Lapsus est adeo hic solertissimus historiæ Hohenloicæ rimator Hanselmannus, dum nullum inter eos discrimen agnoscit. Antequam vero de aliis huius ecclesie fati dicamus, iuvat ex eodem necrologio a) excerpere, quæ notatu digna videntur.

Proxima Dominica ante festum Ioannis Baptistæ singulis annis est dedicatio huius ecclesie SS. Petri et Pauli Apostolorum, patronorum eius.

Sub pœna centum florenorum singulis annis in septimana præcedente vel sequente festum beatorum Petri et Pauli Apostolorum semper est peragendum anniversarium reverendi in Christo patris et domini Alberti episcopi Ratispon. et omnium suorum successorum episcoporum ibidem, cum tali solemnitate, sicut peraguntur anniversaria fundatorum ecclesie, et peragitur in choro, pro quo ipse appropriavit ecclesie nostræ bona, quæ emimus a Ioanne de Orn armigero. Albertus hic videtur fuisse tertius huius nominis ex familia de Stauffenberg a. 1421. VI. id. Iul. mortuus; neque enim de aliis duobus eiusdem nominis antecessoribus hic agi existimo, utpote peregrinis.

In festo S. Petri ad vincula est principale patrociniū huius ecclesie.

Ad 22. Aug.: Hic peragendum est anniversarium singulis annis reverendi in Christo patris et domini quondam Ioannis de Egloffstein (qui obiit a. 1411. d. 22. Nov.)

a) Wibel P. II. p. 134. seqq.

episcopi Herbipolensis, et Ottonis de Egloffstein patris eius, et omnium progenitorum suorum, ac etiam omnium successorum episcoporum Herbipolensium; et peragitur in choro cum maioribus vigiliis, Missa defunctorum et offertorio. Hic incorporavit ecclesia nostra ecclesiam parochialem in Stockenburg pro usu choralium et pro anniversario perpetuo. Et reverendus pater dominus Ioannes de Brunne ep. Herb. eius successor etiam confirmavit; et postea ipsa ecclesia parochialis a sede Apostolica legitime est incorporata.

Ex cæteris documentis collegiatam hanc ecclesiam concernentibus sequentia notanda duxi, ex Wibellii diplomatario Hohenloico potissimum desumta.

Anno 1154. Henricus episcopus Ratisbonensis datis litteris bona in vicinia vacantia aut vacatura, fedi suæ feudalia, eidem confert a).

Ann. 1157. Capitulum ordinationem de hominibus ecclesiæ suæ censualibus instituit b).

Ann. 1270. Crafo de Hohenloh cum coniuge Willeburga ac filiis ad resarcienda damna Capitulo illata, illi advocatiam vinearum in Orenburg donavit c).

Ann. 1319. Schroto de Neuenstein bona sua in Obernselbach collegio tradidit d), et a. 1323. reversales dedit de illis ad dies vitæ a Capitulo receptis e).

Ann. 1343. Crafo de Hohenloh ob duo anniversaria quotannis celebranda canonicis privilegium largitur f).

Ann. 1453. Albertus Austriæ dux quasdam ad hanc ecclesiam Reliquias mittit g).

Ann. 1454. Nicolaus V. omnia privilegia a suis prædecessoribus concessa roborat h).

Ann. 1469. Paulus II. parochiam Neuenstein a collegiata separat i). Cætera dabunt sequentia.

PRÆPOSITI EX MONUMENTIS NOTI.

RUDOLPHUS de Wertheim, et IOANNES Hoffwart in necrologio Oeringensi memorantur incerto tempore præpositi.

GOTTFRIDUS a. 1154. ex charta Henrici episcopi Ratisbonensis, uti et ex litteris Capituli a. 1157. supra citatis innotescit, ubi etiam occurrit *Fridericus advocatus*. Abhinc diplomatum, adeoque et præpositorum lacunam inveniri notat Wibellius, forte ob finistros huius collegii casus.

a) Wibel P. II. p. 24. b) Ib. p. 28. c) Ib. p. 82. d) Hanselmann p. 433. e) L. c. p. 437.
f) Ib. p. 447. g) Wibel P. II. p. 354. h) Ib. P. III. p. 131. i) Ib. P. II. p. 363.

ANDREAS de Gundelfingen circa a. 1299, factus postea episcopus.

RESSO seu REZO a Wibelio perperam Andreæ iam ad ann. 1291. præponitur, quum in charta e. a. aperte *decanus* dicatur, qualis adhuc a. 1299. occurrit, et primum a. 1303. post Andream præpositus, siquidem ille fit *Reizo* præpositus, nominatus in litteris Craftonis de Hohenloh a. 1307 a), quibus collegio cum consensu Andreæ episcopi ius patronatus in parochia Bessenberg contulit; in alia charta a. 1310. *Rezzo* vocatur b). Ex necrologio autem Oeringensi duo eius nominis præpositi distinguendi videntur; ibi enim ad d. 15. Ian. legitur *Rezzo præpositus obiit*, et rursus ad d. 28. Ian. *Reyso præpositus legavit nobis etc.*

FRIDERICUS de Scrotzberg præpositus a. 1330. donationem acceptat c).

GOTTFRIDUS de Nideck a. 1349. bona in Ellenhofen ab avunculo suo Diethero de Bachenstein iure feudali possessa et ecclesiæ tradita liberat d).

ALBERTUS de Hohenloh ab ann. 1388. canonicus Moguntinus, et postea præpositus Oeringensis erat. Quum vero stirps Hohenloica tunc defectura crederetur, Gregorius XII. P. a. 1409. Wormatiensi episcopo facultatem concessit, ut ad ineundum matrimonium ei legis gratiam faceret, quamvis iam ad diaconatus ordinem fuisset promotus e); qui postea tribus procreatis filiis a. 1429. d. 15. Iun. decessit; unde merito dubitandum, anis ipse sit *Albertus præpositus in Oeringove*, cuius anniversarium in necrologio Heilbrunnensi f) assignatur ad d. 11. Oct. quod potius de alio antiquiore videtur esse intelligendum.

GEORGIUS comes de Löwenstein canonicus Wirceburgi et præpositus in Oeringen a. 1416. litteras dedit g), et adhuc a. 1458. præfuisse notatur h).

FRIDERICUS de Redwitz a. 1466. præposituram adeptus est ex nominatione Apostolica contra Balthasarum a Kere, qui eam occupaverat. Sed anno 1481. conventionem iniit cum Capitulo, cui etiam ann. 1506. præposituram cessit, annua pensione sibi reservata.

DOMINICUS de la Porta a. 1510. haud dubie ex provisione Apostolica præpositus.

LUDOVICUS comes de Hohenloh a. 1513. post biennium dignitatem reliquit æmulo suo, qui fuit

ANDREAS Bühl a. 1515. Hos omnes resenset etiam Wibeli i), quin tamen ultimi fata recenseat.

a) Wibeli P. II. p. 257. b) L. c. p. 183. c) Ib. p. 271. d) Ib. p. 284. e) Ib. P. III. p. 109.
f) Iung Miscell. T. II. p. 43. g) Wibeli P. II. p. 174. h) Ib. P. I. p. 54. i) Ib. p. 53.

DECANI OERINGENSES.

UDALRICUS a. 1154. et a. 1157.

HEINRICUS a. 1214 *a*).

SIFRIDUS a. 1225 *b*).

HERMANNUS in charta donationis a. 1270.

RESSO seu REZO decanus sigillum adposuit chartis a. 1289, 1291. et 1299 *c*), factus postea circa a. 1303. præpositus.

ENGELHARDUS notatur a. 1307, quo unacum Capitulo suo cuilibet præposito iuramenti formam constituit, de conservatione præprimis iurium feudalium, et aliorum *d*). Notatur adhuc a. 1314, mortuus 22. Oct. anno incerto.

Anno 1332. Capitulum communi decreto statuit, ut post obitum cuiuslibet canonici illius præbendæ redditus per triginta succedentes dies ipsius familiæ remaneant *e*). Prænotatur quidem ibi *Heinricus* de Nagelsberg, nondum tamen, ut videtur, decanus. CONRADUS decanus legitur ann. 1339. d. 3. Sept. *f*).

HEINRICUS de Nagelsberg notatur ibidem decanus a. 1339. d. 2. Dec. Hic cum consensu Ottonis episcopi condidit statutum de nominationibus per canonicos secundum ordinem faciendis ad canonicatus et præbendas vacantes *g*); unde simul constat, non omnes canonicos fuisse capitulares vocem in electione habentes, quales ibi sex solum numerantur. Obitus notatur 1. Oct.

THEODERICUS seu DIETRICUS de Pfdelbach a. 1353. cum capitulo consentit in erectionem hospitalis in Oeringen *h*).

RESSO decanus testis occurrit a. 1359 *i*).

WERNHERUS de Kassel testatur de indulgentiis hospitalis in Oeringen a. 1366, et 1371. de Alberti ep. litteris pro eodem *k*). Idem a. 1371. cum Capitulo statutum fecit de pane communiter certis diebus distribuendo, ex donatione Craftonis de Hohenloh, pro quo statæ Missæ defunctorum præscribuntur *l*). Obiit 3. Sept. a. 1379.

IOANNES de Hohenloh ex necrologio decanus obiit a. 1381, quo etiam facta est compositio cum Capitulo *m*).

CONRADUS de Lieckerthusen decanus cum Capitulo datis a. 1396. litteris testatur de feudo a se concesso *n*). Idem quoque ad vicariam S. Martini non-

*) Wibel P. III. p. 36. *b*) L. c. p. 39. *c*) Ib. P. II. p. 132. etc. *d*) L. c. p. 258. *e*) Ib. p. 273. *f*) Ib. p. 190. *g*) Cod. prob. N. LXXXVI. *h*) Wibel P. II. p. 286. *i*) Ib. p. 201. *k*) Ib. p. 309. seq. *l*) Ib. P. III. p. 100. *m*) L. c. p. 104. *n*) Ib. P. II. p. 339.

nulla tribuit *a*), et in necrologio ad fabricam ecclesiæ quædam contulisse dicitur. Decessit a. 1402.

GOTFRIDUS de Leymbach decanus cum Capitulo a. 1404. statuta condidit de capitulis peremptoriis in feriis quintis quatuor temporum celebrandis, de annis gratiæ et fabricæ, de modo recipiendi novos canonicos, de præsentia vicariorum et pœna absentium, de curiis claustralibus quomodo et a quibus possideantur, et aliis nonnullis: quæ Ioannes episcopus et Udalricus comes de Hohenloh confirmarunt *b*). Erat simul archidiaconus Herbipolensis.

IOANNES Gemminger decanus a. 1415. recognovit codicillum Adelheidis fundatricis *c*); eius charta notatur a. 1418 *d*), quo etiam Ioannes ep. ratam habuit foundationem simplicis beneficii in ecclesia Oeringensi ab Hohenloicis factam *e*). Idem decanus cum Capitulo ex statutis suis articulum de Custode expunxit a. 1424 *f*). Fundavit quoque capellam S. Michaelis, et obiit a. 1436. cuius, uti et patris ac matris anniversarium agitur 22. Iunii.

NICOLAUS Sickinger notatur in charta a. 1439 *g*), it. a. 1447. et a. 1450 *h*). Idem forte est decanus in Oringav, qui in synodo Herbipolensi a. 1452. post decanum in Onoldsbach ante Mosbacensem assedit *i*).

ALBERTUS Keller a. 1457. cum Capitulo reformavit priora collegii sui statuta, addita simul iuramenti a decano et canonicis præstandi formula *k*). Eodem anno collecta ad structuram turris indicta est *l*), et decanus testatur de indulgentiis ecclesiæ suæ concessis *m*): quales etiam largitur Callistus III. conferentibus ad construendam novæ ecclesiæ fabricam, veteri præ antiquitate ruinam minitante: in qua, ut testatur pontifex, *sacratissima Dei Genitrix miraculorum assiduitate coruscat*, affluente illuc propterea copiosa populi multitudine; ubi divina officia peraguntur *per canonicos, quorum viginti quatuor, et capellanos eiusdem ecclesiæ, quorum duodecim fore noscuntur*; unde simul numerus canonicorum innotescit *n*). Anno 1462. Ioannes ep. ad preces decani nova eius statuta confirmavit *o*), quo etiam idem Albertus speciali decreto omnem suis recursum ad iudicium seculare inhibuit *p*). Notatur adhuc a. 1469. *q*) et a. 1475 *r*).

CONRADUS Sachs ad ann. 1478, 1489. et seqq. *s*).

MATTHIAS Hose a. 1499. cum Craftone de Hohenloh conventionem iniit de provisione ecclesiæ in Neuenstein *t*), et a. 1500. testatur de fundata Missa perpetua *u*).

a) Wibel P. II. p. 172. *b*) Ib. P. III. p. 107. *c*) Ib. P. II. p. 7. *d*) L. c. p. 174. *e*) Ib. P. III. p. 118. *f*) L. c. p. 122. *g*) Ib. P. II. p. 219. *h*) L. c. p. 177. et 64. *i*) Concil. Germ. T. V. p. 421. *k*) Wibel P. III. p. 134. *l*) Ib. P. II. p. 355. *m*) L. c. p. 357. *n*) Ib. p. 359. *o*) Ib. P. III. p. 149. *p*) L. c. p. 156. *q*) Ib. P. II. p. 220. *r*) Ib. P. I. p. 56. *s*) L. c. p. 56. et P. II. p. 381. et 385. *t*) Ib. P. III. p. 219. *u*) L. c. p. 231.

OSWALDUS Bazer, iam anno 1505. notatus, sequente in ecclesia sua proprium prædicatorem instituit *a)*, et anno 1512. novum statutum condidit de pane communi officialibus distribuendo *b)*. Hic idem decanus circa a. 1509. ab abbate Murhartensi Romam missus est, ut pro se eiusque monasterio religiosi status mutationem a Papa impetraret; quo autem effectu, infra in huius monasterii historia dicemus.

WOLFGANGUS Hoffmann notatur in chartis a. 1516. et a. 1526 *c)*. Sub eo quoque magister scholarum institutus esse videtur, cuius obligationes in litteris ea de re datis habentur a. 1526 *d)*.

IOANNES Lutz presbyter antea Wormatiensis a. 1534. decanus ab Hohenloicis constitutus, postea autem varie divexatus, ac custodiæ etiam datus, demum ann. 1545. officio sive sponte sic coacte cessit, uti ex litteris eius reversalibus colligitur *e)*. Eius deinde vices aliquamdiu gessit *Ioannes* Göckenschnabel Capituli senior, qualem se in duabus chartis nominat *f)*. Brevi tamen postea novis sacris aliisque usibus addicta est insignis hæc Collegiata ecclesia.

HOSPITALE OERINGENSE.

Exstitit præterea in *Oeringen* insigne hospitale seu xenodochium sanctis Annæ et Elisabeth dicatum, quod a. 1353. Craſto de Hohenloh cum coniuge Anna de Leuchtenberg fundavit in loco, quo synagoga Iudæorum prius steterat, idque cum consensu Dietrici de Pfedelbach decani et Capituli, nec non parochi in *Oeringen*: ea quidem conditione, ut ad dominos de Hohenloh pertineat nominatio capellani, qui sacra ibi faciat, ab omni nexu cum Capitulo et parocho solutus *g)*. Omnia hæc, simul et patrum sui foundationem anno sequente confirmavit Albertus episcopus *h)*, et concessas eidem indulgentias a. 1371. novis auxit *i)*. Postea vero ob loci angustiam et penuriam aquarum eadem Anna iam vidua a. 1377. hospitale illud extra muros et portam dicti oppidi transtulit, ratum id habente Gerardo episcopo *k)*.

a) Wibel P. III. p. 255. *b)* L. c. p. 276. *c)* Ib. P. I. p. 56. *d)* Ib. P. III. p. 288. *e)* Ib. P. II. p. 431. *f)* Ib. P. I. p. 57. *g)* Ib. P. II. p. 286. *h)* L. c. p. 298. *i)* Ib. p. 309. *k)* Ib. p. 321.

CAPUT X.
MOSBACH COLLEGIATA.

*M*osbaci inferioris Palatinatus oppido ad Nicrum extitisse olim Canoniorum collegium, produnt acta fynodi Herbipolensis a. 1442, ubi decanus in *Mosbach* post illum in *Oeringen* occurrit a). Extant quoque in diplomatario Hohenloico b) *decani et capituli S. Iuliani in Mosbach* litteræ testimoniales de charta foundationis collegii in *Meckmûln*, datæ a. 1465. Eius originem ac fata hucusque frustra indagavimus; nisi quod iam a. 1297. in charta Manegoldi ep. Herbipolensis inter testes legatur *Er. de Starckenberg præpositus Mosbacensis* c). Ortum vero fuisse videtur hoc collegium ex antiqua O. S. B. abbatia ibidem extante, de qua infra P. III. nonnulla dicemus. Finem autem procul dubio tempore reformationis accepit, cuius ultimus forte præpositus fuit *Hieronymus Lamparter* a. 1526. albo universitatis Tubingensis inscriptus d). Postliminio a. 1686. restitutis aliquo modo catholicis facris Franciscani *Mosbaco* inducti sunt, ut suo loco dicemus.

CAPUT XI.
COLLEGIATA ECCLESIA SMALCALDEN.

*O*ppidum hoc in principatu Hennebergensi, nunc in Hasso Casselensi territorio haud procul a *Meinungen*, Protestantium fœdere celebratum, insigni olim gaudebat Canoniorum collegio, cuius originem ex litteris d. d. 1. Febr. a. 1319. e) ipsius fundatoris, qui erat *Bertholdus* comes Hennebergicus in *Sleusingen*, referre lubet. *Ad capellam B. Iacobi Apostoli prope castrum in oppido nostro Smalkalden Herbipolensis diæcesis, in laudem S. Trinitatis et gloriosæ virginis Mariæ, et honorem beatorum Ægidii et Erhardi Confessorum, et in remissionem peccatorum nostrorum, ac etiam in remedium animarum progenitorum nostrorum, ecclesiam unam Collegiatam canonicorum secularium de personis duodecim per nos instituendorum et ibidem Deo perpetuo famulantium de novo duximus instaurandam. Quod etiam præstito ad manus Gotfridi episcopi iuramento cum filio suo primogenito Henrico promisit. Enumerat deinde bona cano-*

e) Concil. Germ. T. V. p. 421.
Annal. P. III. L. XI. p. 1.

b) Wibel P. II. p. 323.
c) Cod. prob. N. LXXXII.

c) Gudenus T. III. p. 728.

d) Crus.

nicis a se collata, quæ ab omni exactione libera declarat, et amplissima ipsis privilegia ac immunitates concedit. Notantur quoque ibi Ludovicus, Ioannes et Elisabeth puberes liberi dicti comitis, nec non Iutta Hermanni marchionis Brandenburgici filia uxor filii sui Heinrichi.

Edidit has litteras Kuchenbecker in Analectis suis Hassiacis a), sed misere depravatas et pluribus in locis mancas. Ut igitur integræ et correctæ habeantur, eas ex alio apographo ex ducali archivo Vinariensi mihi gratiose submisso emendatas et restitutas inter probationes dare visum est. Hæ partim quoque insertæ sunt aliis litteris Gottefridi III. episcopi, quibus præfatam foundationem confirmat, eiusque iura ac regiminis formam determinat, ac fundatori eiusque heredibus ius ad eisdem præbendas tam instituendas, quam deinceps vacaturas personas habiles nominandi et Decano, qui ipsi collegio et ecclesiæ præesse debet præsentandi saluum esse vult. Chartam hanc pariter cum priore Vinaria acceptam ceu pretiosum anecdotum infra b) sistimus. Præfert equidem annum MCCCXXV. Idus Septembris. Quum vero Gotfridus iste episcopus iam ann. 1322. ante idus Septembres decesserit, consueto amanuensium errore factum censemus, ut numerus V. diei mensis subtractus anno incarnationis adderetur, unde potius legendum arbitramur a. MCCCXX. V. idus Septembris, uti etiam restituimus. Ex illa quoque charta discimus, nec præpositum, nec cæteras dignitates, excepto decano, ibidem fuisse institutas; et primum a. 1328. Custodis mentio occurrit, cui idem comes Bertholdus certa bona recens assignavit, iurisdictione tamen in Canonicorum domesticos sibi reservata c).

Idem quoque Bertholdus cum filio suo Ludovico iam Custode Bambergensi et parochio in Smalcalden capellanum ibidem a. 1339. instituit d). Anno 1356. Carolus IV. imp. Collegiatam hanc in suam et Imperii protectionem suscipit, et Alberto Burggravio Norimbergensi eodem nomine tuendam committit e). Eodem anno Ioannes comes de Henneberg Bertholdi fundatoris filius consentit in duo statuta de præbendis canonicorum a Capitulo iam a. 1348. sub Gunthero decano, et rursus a. 1396. facta, ut docet eius charta anecdota f). Varias bonorum donationes ac venditiones huic collegio factas recenset Weinrichius g), quas hic contra morem nostrum recensere supervacaneum duximus. Hassiæ Landgravii a. 1360. inter alia huius quoque oppidi possessionem simul cum Hennebergicis adepti iurisdictionem

a) Collect. I. p. 135. b) Cod. prob. N. LXXXIII. c) Schættgen Dipl. T. II. p. 604. d) Kuchenbeck l. c. p. 145. e) Schultes hist. Henneb. T. I. p. 258. f) Cod. prob. N. XC. g) Henneb. Kirch. Staat p. 74. seqq. et in Pentade.

etiam in hoc Collegium sibi arrogabant, quæ tamen a. 1498. arbitrari sententia soli Hennebergicæ domui adiudicata est a). Hinc et postea Georgius Ernestus comes illud a. 1545. in seculares usus commutavit b). Ex eius præpositis nullum, ex decanis vero paucos sequentes notatos reperi: *Theodoricum*, primum forte, qui a. 1323. fraternitatem iniit cum abbate Vesserensi, et *Dittericus de Mildenstein* testis legitur in charta Hennebergica c). *Guntherus* decanus a. 1348. quædam constituta condidit. *Conradus* decanus a. 1357. quoddam feudum concessit; et *Conradus Cellner* testis a. 1417. apud Weinrichium.

CAPUT XII.

ROMHILT COLLEGIATA B. VIRGINIS.

In *Romhilt* principatus Hennebergici oppido comes *Georgius I.* dominus in *Ascha* et *Römhilt* cum coniuge sua *Ioanna de Nassau* a. 1450. collegium *canonicorum duodecim* cum decano instituit, quod *Gottfridus* ep. *Herbip.* confirmavit, datis e. a. litteris, quas legere est in *Cod. prob. d)* in quibus et *fundationis confirmatio*, et ipsæ *fundationis litteræ vernaculæ* continentur. *Supra introitum ecclesiæ* adhuc lapidi *insculpta* legitur hæc *inscriptio*:

Ao Domini MCCCCL, qui fuit iubileus, temporibus divinæ providentiæ Nicolai papæ V. Friderici Romanorum imperatoris, Gotfridi Schencken de Limpurg episcopi Herbipolensis, Georgii comitis et domini in Henberg ac Iohannet eius conthoralis de Nassau fundatorum, Iohannis Weickers S. Theologiæ professoris primi decani inchoatum est istud collegium et structura in honorem gloriöse virginis Mariæ atque Ioannis Baptistæ.

Certe iam a. 1452. ibi decanum fuisse constitutum, patet ex actis concilii *Herbipolensis e)*, in quo post *canonicos maioris ecclesiæ* collocati sunt decani in *Oringaw, Mosbach, Smalkalden* et *Romhilt*, nulla facta *præpositorum* mentione.

Ecclesia hæc antea partim *filialis* erat *parochiæ Menthausen*, a qua tunc *separata* et in *propriam parochiam* erecta est, eius cura *collegio* demandata. In ea *sepulturam* habent *fundatores*, *Georgius* comes, qui obiit 25. Iul. a. 1465, et *uxor eius Iohanneta* comitissa de *Nassau* a. 1481. d. 1. Febr. *defuncta*.

Tantum, nec amplius de hac *collegiata* tempore *reformationis* in *parochialem ecclesiam* mutata reperi.

a) Schultes T. II. prob. p. 320.

b) Vid. ib. Hist. p. 53.

c) Ib. prob. p. 117.

d) N. CV.

e) Concil. Germ. T. V. p. 421.

CAPUT XIII.
COLLEGIATA IN MECKMUEL.

Meckmül nunc ducatus Württembergiæ oppidum est ad Iagstam fluvium prope Neustadt ad Tiliam, olim lineæ comitum Hohenloënsium fedes, a quibus ad Palatinum primo, dein a. 1505. ad Württembergenses principes devenit. Locus hic *Mechitamuhil* vocatur in charta Wolfgeri ep. Herbipol. qua conventionem de decimis iniit cum Ratgario Fuldensi abbate a. 815, cui Wolfgerus ep. dedit decimationem suam ad ecclesiam, quæ est constructa in villa vocata *Mechitamuhil* a), et in alia charta a. 846. b) dicitur *Mechita - mulinero - marcha*. Anno autem 1379. *Crafto* et *Gotfridus* fratres de *Hohenloh*, cum consensu aliorum fratrum suorum *Ulrici*, *Iohannis* et *Friderici* novam ibidem ecclesiam construxerunt constituto illuc secularium canonicorum collegio, cuius ordinationem *Gerhardo* episcopo permiserunt, qui illud etiam confirmavit datis litteris 8. Aug. 1379, ubi bona novo collegio concessa enumerantur, quorum liberam facultatem concessit eius *preposito* et capitulo c). Ibi etiam sepultus est fundator *Crafto*, qui a. 1399. d. 24. Nov. obiit, et uxor eius *Lysa* comitissa de *Sponheim* a. 1381. defuncta.

Anno 1401. *Ulricus* et *Albertus* fratres de *Hohenloh* testantur, a defuncto fratre suo *Craftone preposito* ecclesiæ B. Virginis in *Meckmühl* ius patronatus in ecclesiis *Honhart* et *Mulfingen* ante viginti annos fuisse donatum, quod de novo confirmant d).

Ann. 1416. *Heinricus* *Moster* post mortem *Erhardi Schrecken prepositus* factus reversales dedit e).

Ann. 1432. *Conradus* de *Weinsperg* cum uxore *Anna* de *Hohenloh* collegio vendidit partem decimarum in *Laupach* et patronatum in *Kochensteinsfeld*, anno vero sequente reditus cum decimis in *Siglingen*.

Anno 1537. *Seifridus prepositus* cum capitulo comiti *Alberto* de *Hohenloh* decimas suas in *Ingelfingen* vendidit f).

Ex decanis, quo forte hoc capitulum octo tantum canonicis constans caruit, nullum reperire licuit. Tandem hæc collegiata communi ecclesiarum Württembergiæ fato succubuit. Donavit equidem illam *Ferdinandus II. imp.* *Antonio* episcopo *Viennensi*, qui illam ecclesiæ suæ univit, cui tamen brevi iterum a Württembergicis erepta est.

a) *Eccard T. II. p. 867.* b) *L. c. p. 387.* c) *Cod. prob. N. XCIV.* d) *Lunig T. XXII. p. 289.*
e) *Hanselmann p. 483.* f) *Wibel P. I. p. 65. seqq.*